

uestrum stetit, quem vos nescitis. Pro gratia Aue Mar. Primò recitabitur euangelium eiusq; sensus literalis. Secundo ad nostram doctrinam tractabitur thematis sensus moralis.

Euangelium. Miserunt iudæi ab Hierosolymis sacerdotes, & leuitas &c. Ex hoc euangelio in summa ecclesia ostendere vult istum, cuius natiuitatem celebraturi sumus, esse mundi saluatore, quem ab initio seculi pater celestis mûdo designauit in figuris, præmisit multipliciter in prophetis. Ea propter per totum tempus aduentus prophetarum leguntur oracula de mittendo saluatore resonantia. In quibus nihilominus patrum ingens nobis desiderium declaratur, & nostra tarditas, ac desidia coarguitur. In hoc autem euangelio omnium prophetarum terminum, & limitem adducit Ioan. scilicet plus quam prophetam, cuius testimonium efficax nimis est, quoniam mirabiliter conceptus, mirabiliter natus, mirabiliter & supra hominem est conuerſatus cuius fama per omnes Iudææ fines diuulgabatur sicut Lucas ca. 1. testatur. In tantum enim creditus erat populo propter vitam austeritatem, ac miraculorum eius ortum illustrantium nouitatem, vt nõ sine causa ab eis Christus putaretur. Vnde non plebæi aut indocti, sed sacerdotes, & leuitæ ex pharisæis, legis, & prophetarum non ignari missi sunt vt interrogarent eum si messias esset. Vnde & dixerunt. Tu quis es? Ille autem vt Greg. in homil. dicit: elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur suauiter supra se, vt veritatem loquens, membrum veritatis fieret cuius nomen fallaciter, non vsurparet. Professus itaq; est se non esse Christum ecclesiæ sponsum, sed amicum sponsi, præcursorem domini, vocem verbi. Ego sum (inquit) vox clamantis in deserto &c. Sed quale illi testimonium dedit, cuius se esse vocem, præcursorem, & amicum asserit. Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis qui nõ in aqua tantum, sed in spiritu sancto baptizans peccata remittit. Hic est,

qui post me venturus est, qui ante me factus est, prælatione scilicet & dignitate, secundum Grego. quia ante me erat quantum ad personam. Non enim eum natiuitatis suæ tempora coangustant. Nam qui per matrem in tempore nascitur, a patre est sine tempore generatus, ad Heb. 13. Christus heri, & hodie ipse, & in secula seculorum, cui non sum dignus corrigi. calci. soluen. In quo & magna humilitas Ioannis comprobatur, qui ad id, quod nouissimorum famulorum est, se indignum iudicauit, qua humilitate veritati testimonium perhibuit, & seipsum valde dignificauit. Et tantum de primo literalis, scilicet euangelij sensu.

Nunc pro nostra morali instructione verbum præcursoris tractemus paulo latius, quo ait Iudæis. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Saluator mûdi Christus dominus venit in carne principaliter ad salutem iudaorum, de quorum etiam radice corporaliter nasci voluit, ipso teste. Non sum, inquit missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Matth. 15. Steterat itaq; in medio eorum vt operaretur salutem in medio terræ, & ipsi eum nescierunt, hoc est scire noluerunt, quia neq; prophetarum, ac scripturæ testimonij, nec operibus, & miraculis credere voluerunt, sicut dominus ait. Ioan. 5. Si crederetis Moysi, forsitan crederetis & mihi. Ille enim de me scripsit. Et iterum. Scrutaminus scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, illæ sunt, quæ testimonium perhibet de me & non vultis venire ad me vt vitam habeatis. Et Ioan. cap. 12. Cum tanta signa fecisset coram eis Iesus, non crediderunt in eum, & idè corporali ter, & spiritaliter deserti, puniti in tempore, & æternitate, eo qd non cognouerunt tempus visitationis suæ vt dicitur Luc. 19. Quod etiam prius per prophetam dominus lamentatur. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Esâ. 1. Et sequitur cap. 5. Pro

Ad quæ
finè ve-
nit sal-
uator.